



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.DC.L. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

exequi conarentur, inter rosarium tractare, labia movere, & cum inde recidivam metuerem, obnixè rogare cœpi, & pro meo in ipsum & ipsius conscientiam jure, etiam conjurare, ne se ita perditum iret; sed capiti & fluctuanti adhuc valetudini parceret; suppliciter deprecantem prius non exaudij, quàm modum & morem mihi penitus exercitij explicaret, & explanaret: confessus se unicâ, cui inservierat canâ, bis mille ni fallor, certè mille & septingentos Virtutum actus exercuisse, & his ita suaviter asuetum, ut si prohibeatur, magis videatur valetudini obtutus esse, tantopere eo se exercitio recreari, & excitari. Ita & in Breviario suo, qua valebat, manu elegantissima ad versum quemcunque cujuscunque psalmi notulas subtiles 6. octo, decem adscripserat, totidem actuum diversarum virtutum indices & concitatrices, quarum se nullam in recitando Divino Officio præterire, mihi est factus, ita, ut simile quid, in aliquot millium, quæ scripsi, vitâ & elogijs, non meminerim me ulpiam reperisse. Habuit & alios manu propria quàm elegantissimè scriptos, piarum exercitationum & precationum libellos, vir spiritalibus rebus torus absorptus, ex cujus colloquijs colligere debui multorum absolutos corpore animos, ad precum ejus suffragia confugisse; de cujus Religiosissimi corporis exuvijs, apud me depositis (quievit siquidem sanctissima obdormitione Veldkirchij in Domino) tanquam magno thesauro dives, mihi plurimum gratulor; nec dubito animum certum in caelis habere advocatum & Patronum. Reliquit & alia subtilis ingenij monumenta, Mathematica in primis, quæ omnia ad Majorem Creatoris cognitionem & laudem referebat.

Ad varia tractus munera sibi semper constans sanctæ memoriæ Aloysij us Princeps Carassia, admirandis ubivis se commendat meritis, sydus revera singulare nostræ ætatis. Factus Abbas in Sicilia ex Obedientia, & quidem in Monasterio S. Flavie de Catalavascetto, dum se mari committeret, adeo horribili jactatus est tempestate, ut naucleus ipse, & se & omnes perditos exclamaret, Aloysio interim toto Divino-

rum contemplatione absorpto, & quasi dulci è somno clamoribus aliorum excitato, imperterrito tamen, & omnes optimè sperare jubente & in stellam maris Deiparam confidere, moxque ad Litanias Magnæ Virginis provolutus in genua inchoaverat; ecce tanta vis ejus orationis fuit, ut navis illa quam primum ad tria millia extra periculum poneretur; quo inaudito miraculo viso, cum ad pedes ejus omnes advolverentur, ut oscula ipsius figerent, prohibuit, Deoque ac Deiparæ gratias agere jussit. Claruit varijs miraculis vivus & mortuus, quæ inter Domina de Piano oculorum lumine orba, aqua quâ manus laverat, oculis illitâ visum recepit. Fuit & Prophetico Spiritu à Numine illustratus quo varia prævidit prædixitque, cujuscumque plura in Vita ejusdem Neapoli typis excusa leguntur. Deiparæ fuit longè amantissimus, à qua varias etiam gratias accepit. Cæcæ monibus autem odiosissimus, diversimodè tentatus victor semper extitit; & ab ipsius crudelissimè casus ac vulneratus, ipsâ patientiâ triumphavit, Martyrum procul dubio numero accensus, & merito donatus; etsi in seipsum non minus ipse crudelis esset, ita ut vita ejus merum Martyrium videretur, etiam cum ægra esset valetudine, de consueto rigore nihil prætermittens. Inter Sacrificandum, alterum Philippum Nerium, & Franciscum de Sales egit. Nec dubium, cum Vesuvius Mons flammis horrendum exarsceret, & extrema Neapoli minaretur, plurimum Aloysij preces potuisse, cum hyberno tempore nudipes cum Religiosis suis ad diversas Ecclesias Processionem, ut sacri vocamus, institueret, ac dein domum reversis nimiumque frigidatis ipse calidâ pedes ablueret; Verbo dicamus: in omni actione nihil non summæ humilitatis præferret, & egregiæ sanctitatis signis claresceret.

Ex Vita.

I E S U C H R I S T I A N N U S . M . D C . L .
S a n c t i P a t r i s B e n e d i c t i . M . C . L X X .

E Xporrigit se denuo in Indias & novum usque Orbem nostrorum meritum, quem etsi longè remotissimum suâ assequuti & complexi charitate, magnis sese meritis commendaverunt. Ex his hoc ipso anno, post egregia

Insigne
ejusdem
exercitium.

Memora-
bilis Virtu-
tum exer-
cendarum
praxis.

Moritur
felicissimè
in Veld-
kirch.

V. Aloysius
Carassia.

Naufragij
victus.

Prodigi-
navi
translati.

Varia mi-
racula.

Propheti-
cus spiritus.

Cæcæ mo-
ni insigne.

Inge Ma-
tyrium.

Supplicium
institutum.

Franciscu
de Berya
Com. de
Graxal.

Fit Char-
quensis
Episcopus.

Magnum
luminare
Indiarum.

gia merita ad coronam zeli Apostolici vocatur à supremo vitæ nostræ arbitro Illusterrimus & Reverendissimus Dominus P. P. Franciscus de Berya ex illusterrima Comitum de Graxal stirpe editus celeberrimi illius Monasterij Sancti BENEDECTI de Sahagun, sive Saguntini Monachus, qui cum & eruditionis singulari laude zeloque propagandæ fidei ferventissimus esset, Apostolicæ functionis munere dignissimus habitus & Charquensis in India Episcopus renunciatus est, ubi cum aliquamdiu, strenuè laborasset, & optimū se pastorem comprobasset, ad Limentem Regiæ Urbis Episcopatum promotus, magnus in oculis Proregis illic habitantis & Magnatum apparuit, & Regno amplissimo & opulentissimo plurimum consuluit, inter magna Ordinis luminaria. merito referendus, magno Proregis & procerum, luctu hoc anno extinctus. *Ex Francisco de Argæo, &c.* Demerentur similiter alia Indiarum Regna nostri hoc ipso tempore, & vel maximè in Imperio Mexicano, Romanæ Ecclesiæ fidelem operam navant, uti ore tenus & scripto à R. R. PP. Societatis Jesu, Franciscò de Encinas & Petro Martinezio edocti fuimus.

Ipsò hoc anno 1650. evolat ad cœlum Toleti in Hispania. Venerabilis Maria de Mendoza illustribus orta Natalibus, sed Virtutibus ac meritis longè illustrior. Hæc Benedictini Ordinis Virginibus Reformationis Cisterciensis, accensa, præclara edidit defacatæ sanctitatis exempla, ut omnes admiratione sui raperet. Ejus eximiam pietatem, ardensque proximos juvandi studium, etiam antequam sacro se velo obnuberet in mores inductum, hæc describit verbis suæ ætatis Doctore celeberrimus Martinus Navarrus in Manuali cap. 26. num. 39. *Illusterrima, inquit, eademque pientissima Domina, Maria de Mendoza, juvantis pijs operibus & largiendis multis & magnis elemosinis cujuscunque Ordinis pauperibus tam Religiosis quam secularibus, super are mihi videtur omnes, quotquot à quinque seculis viderim & legerim etiam Reges & Reginas, optimo cum exemplo secularium Magnatū, & non parva reprehensione Ecclesiasticorū in ea re plus satis dormitantium, quam vitam videant omnes. sic servientem Christo*

usque in finem in terris, & ipse ego olim regnantem sine fine cum DEO in caelis. Ita Navarrus, qui utique votorum suorum assecutus est summam, quando sanctissima foemina de Virtute in Virtutem progressa in statu maximè Religioso Christo se totam consecravit, & sub extremam præcipuè luctam, quæ qualisve esset, ostendit: nam gravi correpta morbo, cum septeno post die, quo etiam decessit, ex Medico, lethalem eum esse, vitamque non nisi aliquot horis duraturam intellexisset, adeo non expavit, ut liquidissimo delibata gaudio Deo gratias ageret, & Medicum insigni dono honoraret & SS. munita Sacramentis tanquam cervus ad fontes aquarum anhelans placidè in Domino requiesceret anno ætatis quadragesimo tertio. *Ex Procopio, &c.*

Occidit eodem ipso anno illusterrimum sanè Inferiori Germaniæ tydus Reverendissimus, & Amplissimus Dominus Christophorus de Burkens, elegantissimi Sancti Salvatoris, in Urbe Antverpiana Archisterij Abbatis merittissimus, sacræ Reformationis Cisterciensis ornamentum singulare. Hic nobili admodum stirpe editus, Nobilitatem Generis ipse Virtute & meritis immortalibus longè illustriorem reddidit; imo nomini suo dulcorem & saporem mirificum adjecit. Fuit sumis ingenij ditatus talentis, solertia, gravitate, prudentia, modestia, in rebus gerendis summa dexteritate, facundia insuper & eloquentia, memoria ac Judicij qualitatibus ita præditus, ut nemo satis tantum Præsulem miraretur, adamarent universi. Fuit præterea, linguarum, ac idiomatum notitia ornatus, atque omnibus penè scientiarum disciplinis exuberans, idem omnibus omnia factus, ita ut omnibus consuleret, servire, & benefacere inter optatissima haberet, omniumque demereri animos atque benevolentiam satageret, & certe omnes sibi addictissimos haberet, & inter ornamenta præcipua ornata Antverpiæ habendus. Fuit etiam Historicus insignis, & in Genealogicis versatissimus, inter præcipuos Scriptores nostræ ætatis referendus, eoque & multo alio nomine à viris doctissimis celebratus. Fuit ab obitu tanti parentis luctus filiorum miserabilis, quem & Antverpia luxit universa. *De-*

Christo-
phoru de
Burkens S.
Salvat. Ab-
bat.

Magnus
omnino
Præsul.

Scriptor
egregius.

cessit hoc anno 1650. die 30. mensis Septembris, cujus memoria est in benedictione. *Ex Monumentis ejusdem Cænobij, Sanderi, &c.*

Excessit è vivis eodem hoc anno Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Gabelus Schaffenius. celebrissimi Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Abdingkofensis inter muros Paderbornenses Monasterij Abbas dignissimus, vir per omnia laudatissimus. Hic præfati Cænobij Professor, cum & eruditionis & Virtutis laude celebris esset, vacante per obitum Godscalki à Dael Abbatià S. Alexandri, vulgo in Graffschaffi appellatà in Ducatu Westphaliæ Dioceseos Colonienfis eodem postulatus, Monasterium hoc imortaliter demeruit, & disciplinam primum Monachicam Regularemque observantiam summa dexteritate introduxit, fovit ac promovit. Inde & felicissimum agens Oeconomum alienata redemit, debita dissolvit, Monasteriũ restauravit, templũ ornavit, & ut uno verbo dicamus, taliter se per omnia habuit, ut alter Cænobij Fundator celebretur. Porro mortuo Wilhelmo Rivio sanctissimæ memoriæ Abdingkhofensis Cænobij Abbate, eodem è suis revocatus, summoque plausu Abbas consalutatus, ut quæ alibi gessit, *fac & hic in patria Tua* audire, & similiter atque insigniter præstitit, & septendecim hic annis superstes, magnum Monasterio nomen comparavit, summo in honore & respectu ubi vis habitus, sacri rigoris Monastici & Observantiæ Regularis promotor strenuus. Decessit hoc ipso ut diximus anno, ipse 1^o Maij latissimis Calendis, ad gaudia æterna evocatus. *Ex Monumentis utriusque, quibus præerat, Cænobij.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LI.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXI.

Volumen peculiare requireret, & bene amplum & crassum, si unius Germaniæ post Cataclysmum seu Diluvium Suecicum, postque tantam ruinam & excidium nobilissimorum & potentissimorum Benedictini Ordinis Cænobiorum, restitutionem, fructificationem & in sacris Augustissimi Patris & Patriarchæ BENEDECTI, non aliter atque in Noe posteris, multiplicationem & benedictionem, vel obiter quidem, nedum distinctius & explicatius, recensere proponerem. Tantum

potuit Sanguis Martyrum, constantia & libera fidei & Vitæ Monachicæ in oculis hostiũ professio Confessorũ, patientia in tanta afflictione, indigentia, persecutionibus, tristi exilio & diuturno Monachorum, ut revera, in hac etiam vita, rerum omnium, quarum jacturam pro Christo patienter toleraverant, centuplum juxta Christi promissã receperint: plerisque Cænobijs ex ipso busto & cineribus, Phœnicis instar longè splendidius, quàm ante ruinam steterant resuscitatis; Sacris Conventus ædibus & Basilicis, sive à fundamento exstructis, sive tantis arte & ingenio restauratis, cujusmodi antea nihil simile totã Germaniã videbatur. Nec minus industriã in restitutionem Disciplinæ Monachicæ, laboris insumptum in primævi introductionem fervoris, dum certatim Abbates atque Priores in seligendis utilioribus quibusvis veterũ Ordinis Reformationũ statutis toto animi adnitu omnem operam impenderent, diversã Cænobia sacras ejusmodi Symbolas conferrent, quodvis Cænobium sancta & laudabili æmulatione, unum alterũ, solidæ Reformationis complexu & studio antevertere & præcellere exambiret. Hinc veteres renovatæ, novæ diversis provincijs institutæ Congregationes, nihilque non sedulo conquisitũ iisdem firmiter stabilendis, & Religiosis ad altiora Perfectionis studia, concitandis, inq; bono proposito confirmandis. Nec minor de litterarum promotione & liberalium artium cura, cum vix ullum sit è frequentioribus & nobilioribus Cænobijs, in quo non solum Humaniora, sed & Philosophica & Theologica studia floreat, & tantopere excellant, ut exercitij causa, ad diversas destinati Academias atq; Universitates, admirationi omnibus sint, & plurimi deinceps Doctoratus gradu sublimati, non minore fructu quàm laude è Cathedris diversis, summo cum concursu & applausu audiantur; inde etiam ad diversos honores, ad consilia & arcana Magnorum Principum expediti; tanta virorum hodie eruditorum in Ordine frequentia, ut nullo unquam antea sæculo, in eodem tanto numero tantaque scientiarum omnium effulserint claritate, gloriã hæc non tam Ordinem solum ipsum quàm Ecclesiam Christi concernente universam.

In